Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1775
Quelle:
Copyright:

Praeterea *Versus chronici* de *Birgittae*, ejus filiae *Catharinae* et ejus Confessoris *Petri* obitu adjuncti sunt praevio Indici, ut adeo *Codex* hic Hagiographis *supracitt.* operam haud inutilem locare potuisset.

DCCXL.

U. 1018 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 14. 4. per duas columnas luculente exaratus, minio decorus, et olim *Joh. Fabri Vien.* Antistitis ita inscribitur: *Incipit prologus Regule domus sancti spiritus.* De Ordine isthoc hospitalario ab *Innocentio* III. ineunte Sec. XIII. ita instituto, ut ex Hospitali *Rom.* dicto *in Saxia*, et *Montispelliensi* fundamenta coalescerent, illique primus praeesset *Guido Montisp.* Comes, disserit P. *Marian. Brockie* in nova et aucta edit. *Codicis Regularum Holsteniani* T. V. *Aug. Vindel.* 1759. *Additam.* XLIV. p. 495. ipsamque *Regulam* exhibet. Ingressus est: *Stephanus diuina miseratione tituli sancte marie trans tyberim presbiter. et Ranerius sancte marie in cosmidin dyaconus cardinalis. Dilectis filijs. magistro et capitulo domus sancti spiritus de urbe romana. et vniuersis rectoribus, fratribus et sororibus aliarum domorum, sub ipsius ordine et magisterio commorantibus salutem in domino. Titulus. Hec est regula siue statuta. que de mandato et auctoritate sedis apostolice. uobis obseruare precipimus a summo pontifice* (addit Brockieus: *Domino Innocentio Papa* III.) *et ab omnibus sacrosancte romane ecclesie cardinalibus confirmata. que sic incipit.* Praefati duo Cardinales purpuram anno 1212. adepti sunt teste *Ciaconio* in *Vit. Pontiff. et Cardd.* T. II. *col.* 30. Regula porro ipsa per rubricas decurrit in Codice; alio tamen ordine, quam in editis. Ita prima nobis Rubrica est: *Quid fratres ex debito querere debeant et non amplius;* in editis vero *Caput* VI. censetur; praecedunt enim, quae *de Receptione Novitiorum* mandantur, quae *fol.* demum 6. nobis leguntur. Variae item Rubricae in alterutro Exemplo desunt. Ita ultima nostra: *Precipimus vniuersis fratribus et sororibus nostris tam presentibus quam futuris ut nullam familiaritatem habeant cum hominibus fidem romane ecclesie non tenentibus nec credentibus in sanctam trinitatem;* quae inscribitur: *De perfidis fugiendis*, abest ab Impresso. Econtra noster Codex v. g. non habet *Caput* LIX. *De Cunabulis Puerorum*, et plura alia, quae successu temporis aut addita, aut resecta, aut mutata sunt; Exemplar enim impressum vulgatum est a Praeceptore et Magistro gen. Ordinis *Bernardino Cyrillo Aquilano* anno primum 1564. quando nostrum jam Sec. ut dixi, XIV. exaratum fuit, atque ita primaeva Regula videri potest. Habet illud *fol.* 12. p. 2. adjunctum etiam *Ordinem ad induendum nouitios*, quo carent Edita. Ad calcem legas: *Marcus Bolld &c. Cesaree M^tis &c. Capellanus Miles vtriusque Preceptor et Commenda-*